

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Maria p
cum fontibus proximo et primis

Quod natura non habuit, usus nesciuit,
ignoravit ratio, mens non capit humana,
pauet celum, stupet terra,
creatura omnis eciam celestis miratur;
hoc totum est,
quod per Gabrielem Marie diuinitus nunciatur,
et per Christum adimpletur.

Ieronymus ibidem (in sermone de assumptione).

Igitur quod natura non habuit, usus nesciuit,
ignoravit ratio, mens non capit humana,
pauet caelum, stupet terra,
creatura omnis etiam caelestis miratur,
hoc totum est,
quod per Gabrielem Mariae diuinitus nuntiatur,
et per Christum adimpletur.

Paschasius Radbertus, *De assumptione sanctae
Mariae uirginis*, 5.33 (CCCM 56C,
A. Ripberger ed., pp.123-4, ll.264-268).

Quod natura non habet, usus nescit,
ignorat ratio, mens non capit,
pauet caelum, stupet terra,
creatura miratur,

quomodo sermo narrabit humanus?

Petrus Chrysologus, *Collectio
sermonum*, 143.1 (CCSL 24A,
A. Olivari ed., p.870, ll.5-7).